

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*





- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zacharia Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Vranie de Christo recens nato Joasimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academia Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Htz: Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalbiani suscipienti Frederico Theodoro Gorlicio
- VII. Theophrastus Evqura ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Homagij causa Ser- vestan nrephum M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelii ad Dn. Augustum Ducem Bruno vicensem.
- IX. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- X. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Princi- pi Anhaltino sponte scripta.
- XI. Theophrastus Dn. Rudolpho Princ: Anhal- tino scripta a Collegis scholae Servestane.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolpho Princ: An- haltini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravictoris et Biomea.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Desuensem Carmen Graecum.
- XVI. Joasimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vbici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Fri- derici Wittebrani
- X. Bulla et amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Bursardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Neudlingeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistratum eundem pronuntiata.
- XXIII. Exequias in Cerevisia Servesta- ne Danielis Berckringeri.
- XXIV. Dehortatio a Catemnijs
- XXV. Germania ad Principes epistola Htz: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis.
- XXVII. Theophrastus ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistris Dn. Johannis Cre- meri
- XXIX. Trizinta Jiverum M. Christiani Galli Italio-Saxonis.
- XXX. Adam Forwerij Frederici Stren- nis Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophrasti Carisperi
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valen- ti Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Flemingi J. V. D.
- XXXVII. Epusden Johanni Philippi Nicolai May



ΓΑΜΗΛΙΑ

*In festiuitatem Nuptialem*

Integerrimi atq; honestissimi viri

Dn. HENNINGI

GROSSI junioris,

Civis & Bibliopolæ Lipsiensis

S P O N S I,

ac

*Pudicissimæ virginis*

REGINÆ-MARIÆ,

Spectati atq; industrii viri Dn. HEN-

RICI SCHRÖTERI, officialis Ruthenici

filix S P O N S Æ

*Scripta à*

*Fautoribus, Adfinibus & Amicis*


Ad IV. D. Id. Iunij, Anno

M. DC. XI.

Lipsiæ Michaël Lantzenberger excudebat.









**H**ENNINGE magna spes decus & domus,  
Virtutis atq; Artis patriæ æmule:  
Sic conjugalis nunc amoris  
Te pius ardor agit volentem  
REGINAM ad ædes ducere proprias,  
REGINA digna quæ genere est tuo:  
Pares DEO, & matris patrisque  
Exhilaras pia corda planè.  
Complebit omni fœnore vos Deus  
Famæ, & bonorum, & seminis: ista sunt  
Promissa Divûm: Non carebit,  
Qui pius est, serie bonorum.

*M. Cunradus Bavarus  
R. Acad. & P.*

~~~~~  
**S**unt duo legitimo thalami quæ fœdere semper,  
Et stabili jungunt pectora bina toro.  
Scilicet ut placeant uni quæ concupit alter  
Sponsorum, & fugiant quæ sibi displiceant.  
Ex his conflatur felix concordia vita,  
Quam beat aternus, qui regit astra, Deus.  
Quem precor ut vobis Acheloia temperet uvis  
Pocula, & his facibus premia digna ferat.  
Qualiter aëria concordi mente columba  
Vivunt, & junctus cum pare turtur ave:  
Sic vos dulcis Amor, Concordia, Paxq; sequantur,  
Et junctura pio corda calore Fides.

A 2

Hoc



*Hoc precor ex animo, votis hoc comprecor æquis:  
Quid precibus tantis justius esse potest?*

*Affini meo charissimo*

*Fridericus Benfoldus I. V. D.*

~~~~~

*V*os, qui nôx vigiles vicatim more jubetis  
Crebrius horrisono vociferare tono:  
,, *Condite Vulcanum: lychni observate facellam,*  
,, *Ne quid detrimenti urbica res capiat.*  
*Quiq; perustores palis crucibusq; ligatis,*  
*Ipsorum fumis ejicitisq; animas.*  
*Num vos Regina latuere incendia Sponsa,*  
*Serviit in vestros queis furiosa lares?*  
*Flammea gestavit, quibus obvia quaq; necavit,*  
*Lumina bina modo Rex Basiliſce tuo.*  
*Nec tamen in segetes libuit sevirere vel ades,*  
*Quæ reparare dato quilibet are potest.*  
*Mascula corripuit juvenum sed corda veneno,*  
*Nec satis apta sago, nec satis apta toga.*  
*Ergò, sed absenti, ne vos quoq; callida viro*  
*Inficiat, nigrum figite Theta Dei.*  
*Consilium hoc capite, & GROSSIUM facitote ministrum,*  
*Is solus monstrum vincere tale potest.*  
*Illius è Siculis in cor regionibus Aethna*  
*Nescio qua calidos transtulit arte focos.*  
*Perpetuum coqueret vis ut fumosa medullas,*  
*Esset & hoc uno flamma sepulta viro.*  
*Hic quoq; supplicium poterit persumere dignum,*  
*Quod tali dictant jura veneficio.*

*Est*



*Est rognus è ligno linoq; & stramine factus,  
Quem coget positâ scandere veste Ream.  
Ante technam quàm sentiscat superirruat ignem  
Sponsus quem fibris clauserat ante suis.  
Torreat oppressam Siculos moveatq; caminos  
Atq; oleum flammis suggerat usq; novis.  
Nec prius abstineat quàm Sponsa prabeat herbam  
Sponte nec inde alios torreat igne viros.  
Talis sic esto, sic pœnaq; congrua noxa,  
Solum arderq; suum seq; suosq; velit.*

F. Simon Malsius I. V. D.

~~~~~  
**Q** Vicunq; ille fuit, coecum qui pinxit Amorem,  
Vah, rudis & veri nescius ille fuit.  
Coecus Amor non est; immò est oculatior Argo,  
Quæq; nequit Lyncæus cernere, cernit Amor.  
Tam nihil abstrusum est, pateat quin illicò Amori.  
Hoc docet exemplo G R O S S I U S, ecce, suo.  
Huic nempe egregiam forma & virtute puellam  
Quærenti, talem foedere junxit Amor.  
Rara avis est, virgo dives, formosa, pudica;  
Rara licèt sit avis, repperit ille tamen.  
Inunc, & coecos dic esse Cupidinis orbes,  
Si lubet. ah, oculi sunt in amore duces.  
At tu S P O N S E Dei cui tantum munere donum  
Contigit, hac hilari sorte beatus ova.  
En, R E G I N A, tibi quæ formosissima sceptrum  
Porrigit, & R E G E M te cupit esse suum,  
Cincta pudicitia castam Diadema frontem,  
Virtutum gemmis splendida tota nitet.


A 3

Ad



At clavum Imperii tecum illa sedebit, eruntq;  
Liberi ei curæ, dum tua cura Libri.  
Eja igitur regnate simul, Regnator Olympi  
Donec ad excelsi vos trahet astra Poli.

*Hieronymus Megiserus, Co. P. Cas. Electo-  
ris Saxonie Historicus & Academia Lips.  
Professor Extraordinarius.*



**V**Te MAGNE mea, sic disponente Supremo,  
Agnata sponsum nuncia fama tulit,  
Gaudia commotam tenuerunt plurima mentem,  
Maxima qua semper vovit habenda suis,  
Et calidum subito conceptum carmine votum:  
Liberi ut hoc patris nominis omen ament,  
Sed mox hinc dubium: cui Cor & Somnia Libri,  
Liberi an huic etiam Cor Labor esse queant?  
Invenias: duo qui neget unum tollere posse  
Ac humeris longam pondera ferre viam.  
Invenias: unum sorbere & flare, quod ajunt,  
Qui neget, aut curas jungere posse duas.  
Invenias etiam: Veneri bene, rite litasse  
Mercurio, qui non unius esse velit.  
Hinc neq; tractantem qua Lectu suavia Lecti  
Dulcibus, ut deceat, posse vacare virum.  
Insipidos: qui, cum nequeant quid, protinus omnes  
Non posse, elumbi pol ratione, putent.  
Magni magna queunt & amant alterna Camæna,  
Verbis si veterum perpes habenda fides.  
Ergo, quem Magnum natura benigna creavit,  
Desperem reliquis plura valere viris?

*Aut*











COLLOQVIVM

πρωτογάμων.

Hennings Grossius  
Sponsus.

Regina-Maria Schrö-  
teria Sponfa.

H. **O** Mibi formosas inter pars prima puellas,  
Schröteriaæq; domus gloria, lumen, ave.  
Si licet, & pateris, tibi sensa recludere mentis,  
Atq; arcana animi credere cuncta meis  
Omnia, ne referant taciturna silentia Amyclas,  
Committam fidei corde reclusa tua.

R. Quam mihi tu presens maluisti afferre salutem,  
Hanc HENNINGE lubens nunc ego reddo tibi;  
Nevè ut, quicquid agas, careat successibus opto,  
Omnia sed nutu prosperet orsa DEUS.  
Esse quid hoc verò dicam, charissime GROSSI?  
Credere quòd cupias mentis operta mihi.  
Fortassis tacuisse juvet; licet ora resolvi,  
De me qua tibi inest, postulet ipsa fides.

H. Non aliter possum tibi quin arcana revelem,  
Inq; tuum fundam viscera nostra sinum.

R. Quando ita vis, dicas: nam quicquid dixeris ipse  
Caucasio certè dixeris id lapidi.

H. Nolo ego Caucasio lapidi, cui corpore toto  
Nullus inest vitæ spiritus atq; calor.  
Et quem cum sensu rerum prudentia linquit:  
Unde nec auxilium, consiliumq; mihi.

B

Tu



Tu mihi rebus opem poteris, verbisq; levamen  
Ferre, mei fuerit si modo cura tibi.  
R. Conveniens homini est homini prodesse voluptas,  
Et melius nullâ queritur arte favor.  
Si mea confusa poterit solatia menti  
Reddere, & auxilio lingua levare malum:  
Ut tu curarum morsus ex pectore vestro  
Fomentis speras cedere posse meis:  
Fare age, quæ curis animum mordacibus angunt,  
Atq; ego suspensis auribus ista bibam.  
H. Liber eram, & nullis dicebam posse moveri  
Ignibus, irridens semper Amoris opus.  
Prima mihi in cultis vendendis cura libellis,  
Doctaq; sub prælo mittere scripta, fuit.  
Liberâ me Veneris sine munere vita juvabat,  
Et sacra conjugij jura perosus eram.  
Sapientius imprudens, mihi quid cum conjugè dixi;  
Nil nisi fœmineus jurgia lectus habet.  
Risit Amor: subitq; emotis aëre pennis  
Astutit: & tales rettulit ore sonos:  
Tunc adeo solus teneri contemtor Amoris?  
Nostraq; necquicquam numina læsa times?  
Juro per hanc pharetram, perq; hæc mea tela, facesq;  
Tu pœnas nobis ocyus ipse dabis.  
Nec mora de nitidâ promit duo tela pharetrâ,  
Inq; meum subito pervenit hasta sinum.  
Sic mea sunt acri transfixa Cupidinis arcu,  
Et nimis heu cæcum pectora vulnus alunt.  
Pectora vulnus alunt herbis medicabile nullis;  
Morbum nec curant verba, nec herba meum.

Quid



Quid referam? postquam sum sub iuga missus Amoris,  
Jam caput hoc juris non licet esse sui.  
Sive diem caelo Matuta revelat aperto,  
Seu fuscus gelidam Vesper obumbrat humum;  
Ipse daturus adest praecepta Cupido magister,  
Sed nil proponit quam mihi semper AMO.  
Semper AMO ut repetam praesenti tempore poscit,  
Praeteritum nullum, nulla futura cupit.  
Ecquid ut audisti Regina-Maria dolorem,  
Protinus est tenerum cor tibi triste tuum?  
Disimules, metuasque licet pia Virgo, fateri,  
(Si bene te novi) triste cor esse liquet.  
Namque puellarum mollescunt corda querellis,  
Supplicibusque favet turba pudica prociis.  
Eja age queso mihi Regina-Maria favorem  
Praesta, qui superet aurea grana Tagi.  
Affer opem vulnus nunquam sanabile passo:  
Fomentisque tuis saucia corda leva.  
Nec sine me miserum calidis torrescere flammis,  
Sed nostram ex vestro fonte repelle sitim.  
R. Nulla Henninge mihi est rerum prudentia, nullus  
Et nitor eloquij, consilijque vigor.  
Nec magicas artes, Aeaque carmina novi:  
Pro quibus aeternus det meliora DEUS!  
Quo magis admiror quae sit fiducia caepo,  
Spemque opis addiderit quae tibi causa mea.  
H. Ille puer celeri qui telo instructus & arcu,  
Hac quoque digrediens edidit ore mihi:  
Quae patre Schrötero nata est Regina-Maria  
Leniet hoc vulnus quod tibi fecit Amor.



R. *Ast ego non didici docti praecepta Galeni,  
Quaeq; senex Couis, quaeq; Avicenna docet.  
Nosco nec herbarum vires, usumq; medendi,  
Qui possum medicas applicuisse manus?  
Aut tua Paoniis imbellia membra levare  
Artibus, & succis restituisse bonis?*

H. *Non opus est, mea Lux, herbarum viribus ullis,  
Tu poteris verbis me relevare tribus.  
Dic igitur tria verba mihi Regina-Maria,  
Ac quartum adde tribus: Tu meus ardor eris:  
Cur oculos desigis humi, terramq; tueris?  
Ille quid attonitas stat pudor ante genas?  
Da veniam fasso: nec duro cetera vultu  
Percipe, sed forma conveniente tua.  
Festa dies erat: hacce novo nova nupta marito  
Vincla sacra cesti dissolvienda dedit.  
Cum peteret Sponsus templum, ac firmaret ad aram  
Promissam thalami, numine teste, fidem:  
Ipse inter juvenes Sponsum comitabar euntem,  
Tu quoq; formosas inter es ipsa nurus.  
Ut ventum ad thalami tectum, pudibunda sedebas,  
Lumina fixa tuis nostra steterè genis.  
Protinus accendit mihi subdita flamma medullas,  
Inq; meo regnans pectore crevit amor.  
Quid faciam dubito: an versa cervice recumbam,  
An flamma experiar conscia signa tua?  
Qua licet & possum tento celare calorem:  
Sed revocas oculos protinus ipsa meos.  
Heic ardens in te cum lumina fixa tenerem,  
Sensi te totis erubuisse genis.*

*Hinc*



Hinc flammās hausi, rapidosq; sub ossibus ignes  
Concepi, formā raptus amore tua.  
Da veniam obtutu si quid commissimus illo:  
Materiam oppositus praeiuit ipse locus,  
Sola igitur nostro poteris medicare dolori,  
Sola mihi curas demere corde graves.  
Solaq; consumtis potes artubus addere vires,  
Deniq; sola mihi ferre salubris opem.  
R. Hoc egomet dubito: non quod fiducia desit:  
Ne levior foliis cor malè verset amor.  
H. Uror amore pio iuvat hoc, mea Vita, quod uror,  
Si tibi de nobis mutuus adsit amor.  
Mutuus adsit amor, tua per castissima labra,  
Perq; tuos oculos, sidera bina, rogo.  
Quod si nunc alios suspiras forsā amores,  
Tunc precor has nobis CHRISTE repelle faces.  
CHRISTE repelle faces, aut da quo seruiat aequè  
Vinctus uterq; tibi, vel mihi vincla leua,  
Sed potius validā teneamur uterq; catenā,  
Nulla queat posthac quam soluisse dies.  
Da modò te facilem, Regina-Maria, nec aure  
Surdā mellitas has bibe dura preces.  
Hoc animo sedeat, quod amoris crimina nolim;  
Debitus ut Sponsus, non uti raptor amo.  
R. Sed non divitia mihi sunt, auriq; talenta,  
Nec culti teneo jugera magna soli.  
H. Non ego divitias, non auri munera fulvi  
Ambio, nec culti jugera mille soli.  
Prafero te gemmis Regina-Maria, vel auro,  
Omnibusq; Pluti deniq; divitiis.



*Tu Diadema meum Cræseo carius auro,  
Præsidium Vitæ, luxq; decusq; meæ.*

*R. Non est tanta mei fiducia corporis, ut me  
Dignam, quæ tibi sim Lux, Diadema, putem.  
Et quia credulitas damno solet esse puellis,  
Quem præfers, vereor, ne simuletur amor.*

*H. Per caput hoc te juro meis charam esse medullis,  
Sive mihi conjux, sive futura minis.  
Sed potius conjux, mihi dant spem plurima magnam;  
O alium, mea lux, desine velle procum.  
Nam si nec nomen, nec me tua forma teneret,  
Posset me pietas una tenere tua;  
Et retinere tenor morum integer, & pia vita  
Simplicitas, nullis collabefacta dolis.  
Mens ad aperta tibi est: ne des mihi quæso repulsam,  
Durius heu gelidâ morte repulsa venit.*

*R. Ut nihil infirmo, faveo sic laudibus istis,  
Nam mea vox quare quod cupit esse neget?  
Nec tu succense nimium mihi creditus agrè,  
Tarda solet magnis rebus inesse fides.  
Prima mea est igitur tibi me placuisse voluptas,  
Proxima, te fœdus velle ferire tori.  
Ergo ego sum Vitæ tibi Lux, Diadema, decusq;  
Ferreæ sim si non hoc ego pectus amem.  
Et libet, at timeo nec adhuc exacta voluntas,  
Et satis in dubio pectora nostra labant.*

*H. Ah deponc tuum, Regina-Maria, timorem,  
Sæpè solet damno frigidus esse timor.  
Namq; ego divino monitu, ne nescia pecces,  
Te cupio; & cæpto non leve numen adest.*

*Nam*



H. Nam mihi, si quid habent, ut habent, pia somnia veri,  
Nuper avi visa est dulcis imago tui.

Dulcis avi facies caelo delapsa beato  
Pollicita est thalamo te, mea Vita, meo.

R. Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,  
Et mentes hominum credere vana jubent.

Quaeq; etiam sensu volvuntur vota diurno,  
Tempore nocturno reddit amica quies.

Venator defessa toro cum membra reponit,  
Mens tamen ad sylvas, ac sua lustra redit.

Blanda q; largitur frustra sitientibus agris  
Irriguus gelido pocula fonte sopor.

Judicibus lites, auriga somnia currus,  
Somnia dat teneris pulcra puella procis.

Quare ignosce mihi te vera Henninge monenti,  
Mendaci ac somno credere, quaeso, cave.

H. Hac Deus optatum in finem mea somnia vertat,  
Nec jubeat tepidos irrita ferre Notos.

Quaeq; mihi de te facies divina Parentis  
Dixit, id efficias chara puella ratum.

R. Multum momenti positum est in rebus agendis,  
Prensantem frustret ne levis ansa manum.

Quam prius incipias, consulta, ubi caeperis ipse  
Maturè factò deniq; tunc opus est.

Nam pensanda diu multumq; balance fideli,  
Mi GROSSI, venient quæ statuenda semel.

Equorum genere est hoc unum, ac ordine primum,  
Cum duo conjugii foedus inire volunt.

Ergo



Ergo age ne properes, nisi tecum rem benè, rem q̄  
Cum genitore tuo, matre q̄ contuleris.

Fas etiam ut referas ad nostrum vota parentem,  
Rem q̄ omnem pandas consilium q̄ Dei.

Si tibi facta mei fuerit spes dulcis habenda,  
Si vel uter q̄ pater non aliena movet:

Ipsa etiam faciam quodcumq̄ videbitur æquum,  
Quidquid è heic statuet mitis uter q̄ parens.

H. Ad charum retuli jam pridem vota parentem,  
Annuit auditis his facili aure meis;

At q̄ optata mihi dedit is responsa, tuum q̄  
Ad patrem placidis rettulit ista labris.

Annuit hic etiam non tardà mente: meo q̄  
Amba etiam matres te pepigere toro.

Dispeream, si non felici numine CHRISTI  
Eveniunt votis talia cœpta meis.

Ergo meum speremne tuo, Regina-Maria,  
Conjungi tandem posse lateri?

R. Eloquar? an flamma non est opus indice nota?

Nam plus, quàm cupiam, jam meus extat amor.

Non benè dissimulo: quis enim celaverit ignem,  
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Si tamen expectas vocem quoq̄ rebus ut addam,  
Accipe tandem animi nuncia verba mei:

Flagrat amore mei ceu cor tibi candidè GROSSI,  
Sic mihi cor pariter flagrat amore tui.

Dà veniam fassa; magno deperdit a amore  
Dedo tibi GROSSI victa puella manus.

Tu mea lux, meus esse oculus, mea sola voluptas  
Debes; aternum cetera turba vale.


Ipsè



*Ipsè modò placidos societ nos CHRISTUS in annos :  
Atq; maritales præferat ipse faces !  
Et quo Caneas respexit numine Sponsos,  
Nos quoq; respiciat pronubus ipse Deus !  
H. Lator id, lætà declarans gaudia voce,  
Ardori postquam fit medicina meo.  
O Regina-Maria meum mel amabile, mustum !  
Te dominam cordis nuncupo jure mei.  
Corporis immò etiam totius, & omnium in isto  
Vertice qui sensus, pectore quiq; vigent.  
Eja tuo sine me circumdare brachia collo,  
Aurolumq; tibi, Lux, dare basiolum.  
Nec minus armillas binas, torquemvè decorum  
A tibi dilecto pignus amoris habe.  
Nos DEUS omnipotens conservet tempore longo,  
Et foveat nostram multiplicetq; domum.  
Ut mihi, seminium stirpis, sit filius ore  
Qui te olim matrem, me genitore, vocet.  
Quod precor esse liquet : salve mea sola voluptas  
Utq; diu vivam, Lux mea, vive diu.*

scriptum

à Iohanne Paymelio Ragunense.



**M**agnus es, hoc nomen declarat, amice; negares,  
Nî nomen, pietas & tua nota forent.  
Magnus es, ingenui qui te genuere parentes  
Ad majora docent, quâ juvet ire, viam.  
Donec erit libris libraria plena, legetur  
Et GrosI toto nomen in orbe senis.

C

Nulla



Nulla ejus nomen, Nati nunquam obruet ætas;  
Ex merito doctis dum tribuetur honos.  
Magnus es, & minor esse cupis, miramur ! amicæ  
Præbes Reginæ colla regenda tuæ,  
Sed benè: tu rex es; Regina regentis, ut æquum,  
Subjacet imperio sponte volensq; tui.  
Major Reginâ: lex hæc mandantis Iovæ:  
Subdita sit domino juncta marito suo.  
Major Reginâ: primùm stas Sponsus ad aram,  
Sed tardo supplex advenit illa pede.  
Major Reginâ: debetur prima sedenti  
Ad mensam sedes: infima Sponsa petit,  
Major Reginâ: conscendis, Sponse, cubile  
Antè, brevem causans sed venit illa moram.  
Cetera sub ticeo, quæ non fas prodere verbis,  
Mutor in Harpocratem: sunt sacra Eleusinia.  
*Dia beet lectum genialem gratia: sunt  
Quæ clam, deinde ferant gaudia mille palam.*

*M. Caspari Krautstengel, Pastoris  
Ecclesie Christi apud Hermansdorf.*

Ad Sponsi Parentem.

*Quàm vellem, Henningi, gratum tibi pangere carmen,  
Carmen, & ex ipso rivus deducere Pindo:  
Quàm vellem Nati tadas celebrare canendo,  
Deditus ipse tibi totus, totusq; Tuisq;  
Sed via difficilis: sterilis mea vena: Poesis  
Desit in numeris: numeros tamen ipsa negabit  
Non mihi: vis animi fecundum concute pectus:  
Spiritus athereis, ita motus, sedibus adsit.*

*En,*



En, tenebris iterum disiectis, atq; sereno  
Nubibus in caelo longè, lateq; fugatis,  
Aureus ignifero lucem sol axe reducit:  
Alter qua Natus, parili qui nomine gaudet  
Tecum, sed fatis paribus cumulatus ab alto,  
Conjuxisse piam felici sidere Sponsam,  
Gaudet ovans, sibi, gaudet ovans Cytherea benigno  
Numine Iunonis peramica: & qualis habetur  
Quem validis Pallas scapulis, metuente resolvi  
Altius; & penna, virtus & gloria tollunt.

Et quos non motus, Genitor clarissime, tædis  
Conciperes istis? Et quos non pectore planctus  
Exequijs olim primi, qui flore juventa  
Deciderat, conjunx jam factus, & ipse ciebas?

Sed bene res! Cælis peritura commoda vita  
Despicit, atq; capit mansura commoda vita.  
Quod sibi prærripuit mors immatura Juventa,  
Proroget ulterius sed & id, qui vivet, & isthac  
Luce suam Sponsam sacram jam sistit ad aram.

Ingeniosa satis paritas, dignissima tanto  
Fædere: quod Pylios bis terq; super sit in annos.  
Hæc adamantæo felix concordia nexu  
Nonnè sui laudem Musas invitet Homeri?  
Invitat, videatq; sui præconia lecti.

Sponsus enim Sponsam quoties conspexerit: ejus  
Ex utroque decus pendere memento parente  
De quo fors alij scribent, dicentq; poëta.

Contra, si Sponsam Sponsa aspectaverit ipsum  
Inveniet certè nil non laudabile in ipso.

Ac patris ingenium DE A, virtutemq; togatam.



Alma voluptatem Sophie capit, illa q̄, cælo  
Grata quidem Pietas, Candor, mens nescia fraudis  
Utilis in regno Christi, Christo q̄ ministrat,  
Amplificat q̄ decus, libros vulgando sacratos.  
Utilis illa foro, divina volumina Juris  
Suppeditando, viget passim memorata per oras.

Et Generi nomen Schultetis nonne triumphat?  
Diva Themis spoliis induta superbit opimis,  
Illius illustres hinc tendit fama per aulas  
Majores q̄ sibi vires acquirit eundo:  
Principibus placuisse viris: non ultima laus est.

Quid Sponsi Matrem, cui & sua premia restant?  
Quid Sponsum dicam, Iuvenem virtutis avitæ?  
Patris ad exemplum se totum accommodat idem:  
Patris & in nomen, si vixerit, ibit amicum.

Nil ab utrâq̄ simul parte est, quod & amplius optes.  
Ergo novi Sponsi thalamum simul ite sub unum,  
Ite, sed ecce, sedet Raphael ad limina custos,  
Et vobis Sponsis superaddit carmen & istud:  
Vivite felices fatali fœdere juncti:  
Ducite Nestoreos sine vi, sine clade per annos.  
Insit mens eadem vobis, eadem q̄ voluntas  
Præsidio suffulta Dei: Lucina futuro  
Tempore vos faciat numerosa prole parentes.  
Et beet alma Salus vos rerum divite cornu.

### Epigramma Διελκόν

ad Dn. Sponsum: HENNINGUM GROSSIUM,  
Bibliopolam; Henningi Filium, de lusu &  
usu Conjugis.

Quid



**Q**uid sit Conjugium, norunt, qui Conjugis usum,  
 Atq; jugum, contra hinc, experiere, suum.  
 Ac primò in lusum dulcem convertitur usus:  
 Nam cum qua possis ludere, solus habes.  
 Est castus ludus cum Conjuge ludere castè:  
 Multiplicem fructum Lusus amoris habet.  
 Si bene ludis, habes longeva commoda vite,  
 Namq; in prole tua, post tua sata, viges.  
 Inq; Scholam porro virtutum vertitur usus,  
 Seu via lucis erit, sive terenda crucis.  
 Conjugium inq; Iugum nam contra vertitur, usus  
 Sed Tibi dulce jugum, si bene ludis, erit.  
 Sape fit hoc durum, si non bene ludit uterq;  
 Si venit in thalamum, torva Leena, Viri.  
 Sis asinus, quemcunq; asinum mala foemina fecit,  
 Ille tamen patiens, qui bene portat onus.  
 Sed tibi lusus erit, Sponse ornatissime, dulcis,  
 Et tibi jucundus Conjugis usus erit.  
 Et tibi dulce jugum, ratio cum par sit in isto:  
 Illa virago viro: convenit; ista tibi.  
 Vna fides, pietas, labor unus, & una voluptas:  
 Sic Sponse rursus convenit ille sua.  
 Ludite: vester amor, cordis penetrabilibus imis  
 Duret; & à Domino, Ludite, vester amor.

V O T V M

Ad vota:

Dn. Henningum; & Reginam - Mariam  
 Virginem Sponsam.

Adsit utriq; Deus vestrum, pax adsit, abundet  
 Prosperitate domus, progenieq; torus.  
 Omen inest votis: precibus vis magna, Jehovah,  
 Hec quoq; pro Sponsis, vota valere velit.


M. Urbani Timæi  
 Pastoris Cletiani



δῶρον γαμικόν.

**M**irum, nî veniat Venus hac vel nocte, Maritos  
Muneribus miris exhilaretque novos.  
Munera mira feret, quæ nullus in urbe vel oris  
Fortè peregrinis excitus hospitu habet,  
Aut dare consuevit; nihili fit copia & auri,  
Copia & argenti maxima fit nihili.  
SPONSUS habet SPONSAM; rutili obliviscitur auri,  
Atq; genæ mavult jam rutilantis heram,  
Proh Veneri geminam! neq; nunc reminiscitur albi  
Argenti. Venus hæc lac sapit, illud amat.  
Lacteus ac rutilus color ut commistus in illa  
Egregia SPONSAM condecet, hem! facie.  
Pulchrior his virtus, pudor atq; modestia, casti  
Flos animi, lautam quàm decet, hem! faciem.  
SPONSUS utrisq; bonis hac nocte fruatur, & atrî  
Alitis exesto penna; columba suum  
Figitoq; hîc nidum cum compare turture; nullus  
Hic tibi præSPONSUS, prave Cucule, locus.  
Sponsus utrisque bonis hac nocte fruatur, & ævum  
Incolumis SPONSÆ consociatus agat.

*M. Valentinus Hartung  
Lipsiensis, P. L.*



**N**on omnis nostrâ censetur laude puella  
Digna, vel hac magnô sit generata virò.  
Haud voco, sunt notæ, quæ nil nisi ludere possunt  
Junctos communis quos alit esca, viros.

*Appellant*



Appellant miseros, scabiosos, exta vorantes,  
 Illos & nullos temnere prater habent.  
 Has non agnoscit Phæbi testudo, nec illud  
 Immerito, dignas crimine, carmine non.  
 Nobiscum sentis, GROS I, qui nubere tali  
 Non vis, quam vexat vanula gloriola.  
 Fecisti ingenuè; laudèsq; hinc ambo meretis  
 Tu candore tuò, & Sponsa pudore suo.  
 Gratulor. Idq; satis. Liceat tamen addere Nymphis:  
 Quæ doctum spernit, spernitur ipsa magis.

M. Samuel Rülingius Gröi-  
 census, Poëta L. Cæsareus.

Quàm multi, verùm frustra ambivêre puellam  
 Multi, inter se gens invidiosa, proci.  
 Successus Iovâ, Grosi, tribuente, secundos  
 Venit in-amplexus Sponsa pudica tuos.  
 O quàm compositum bene par: quos gloria compar  
 Mutuus & firmo foedere junxit amor.  
 Ergo ut Chaoniæ sunt vero in amore volucres  
 Exemplum, inter vos sic erit unus amor,  
 Vnanimem turtur vives cum turture vitam  
 Sponsæ columba tua, Sponsa columba tuo.  
 Utq; croco similax, se vitis ut implicat ulmo,  
 Arctabit junctos mutua cura duos.  
 Vota valent: utinam revoluto fideris orbe,  
 Infans in cunis vagiat ore tener.  
 Qui referat pietate patrem, qui lumine matrem,  
 Et tingat roseas matris, ut ille, genas.

Hæc



Hæc precor, hanc vobis coelo Cythereius alto  
Proferat aurata Lucifer arce diem.

*M. Paulus Gasmanus, L L. studiosus.*

**D**um tu Sponse recens, dum tu lectissima Sponsa,  
Quo pare nobilius non puto posse dari,  
Intratis geniale sacrum, vincitur Honestas  
Ipsa sibi, Virtus nubit & ipsa sibi.  
Auguror hinc pulchra, & numerosa prole beatum  
Hoc thalami fœdus, prosperiusq; fore.  
Mentis enim paritas, sua visq; proportio morum  
Semper in humanis plus operata fuit.  
Tu modo jure tui **FELIX** Sponse, utere lecti:  
Effectum causa est sponte habitura suum.

*Adamus Herr.*

**D**um jam Henninge tibi nubit Schröteria virgo,  
Apta tuo thalamo res magis esse nequit.  
Aspice quæ rosei miranda modestia vultus,  
Et morum integritas lacteolæque manus.  
Florida num juvenis, mallet tua ferta, triumpho  
Alterius Sponsæ, Sponsæ dicare, thoro.  
Virginæ, nunquid melius tua dona, coronæ  
Alterius posses, Sponsa locare, thoro.  
Omnia conveniunt; congratulor ubere plausu  
Subjicio votis & mea vota piis,  
Adsit Eros, nec turbet Eris, nonoque peracto  
Adveniat facilis mense, Lucina, precor.

*Michaël Thoma.*

*AL.*



AL SG<sup>o</sup>r LO SPOSO, AMICO  
MIO SVISCERATISSIMO.

**A**Nch' il mio gran *DESIRE*  
Et il dovere m' invita, di quella,  
Cantare, la qual (: come in Ciel la *STELLA*  
Di *VENERE* :) lucendo;  
Come oro risplendendo,  
Passa ogni altra donzella,  
Casta che sia ò bella.

On<sup>d</sup>' essa non à torto

*REINA* si noma, perche meglio esprime  
Ogni *BELTÀ*, che non ponno mie rime  
In somma l' opra stessa  
La loda, ch' è concessa.

A lei, quasi per dono

Dal *FATO* & *SOMMO BONO*.

I cape' sono d' oro,

La front' è più ch' il Ciel serena, i denti  
Sono perle, gl' occhi begl' e lucenti,

Vermigliuzz' è la bocca,

Di mele chi la tocca,

Le guancie son di latte,

Al morso e rimorso atte.

Le labra son Rubini,

D' Albastr' il collo, le poma del seno

Crude si, mà delicate, Nè meno

Alla beltate esterna

Risponderà l' interna,

il che provi lo Sposo

Nel piacer amoroso.

D

Dunque



*Dunque, Sposo felice,  
M' allegro della tua Regale Sposa,  
Da cui soave bocca esce aura amorosa,  
Vivete lietamente,  
Scherzate dolcemente,  
Sì ch' à te'l nom di P A D R E  
Convenga, à lei di M A D R E.*

Giorgio Schütz VVeissenfels.

~~~~~

**T**Andem igitur Febris & Veneris fit pausa duello.  
Quantum in GROSSIADÆ sæviit illa caput  
Dilectæq; suæ FURIA isthæc pessima! flammis  
Dum cerebri excoquere est ausa utriusq; tholos:  
Se cæcâq; viâ teneræ illatebrare medullæ,  
Hirarum penitos perq; meare sinus.  
Sic quoq; sic lumen radiatum Solis adurit,  
Purpurea explicuit quæ modò fila, Rosam.  
Non tulit ulterius Vespæ istius IÐA furorem,  
Torquatamq; agitat celsa per astra rotam,  
Latonæq; Nepotem orat, cui fortibus herbis  
Vni Parcarum extendere fata datum est.  
Audiit, & quam nescio eis Deus applicat herbam,  
Quâ bellæ huic bigæ pristina vita redit,  
Circumeunte illam Como, Risu, atq; Lepore,  
Quis nec abest facilis conciliator Hymen.  
Quos nos pro merito hoc VENERI referamus honores?  
Quin conjunctâ ARAM constituamus ope;  
Picturâ hâc: Veluti Febri caput amputet IÐA;  
Crudelis tenero Daulias atq; Itylo.

GROSSI-



GROSSIUS aspiciat, scalpi quoq; curet in ære,  
Donet & emptori cuilibet illa suo.

*Christiani Anselmi.*

Ad Dominum Sponsum HENNINGIUM  
GROSSIUM.

**H**oc hoc deérat adhuc rerum multarum opus unum,  
Post tot curarum semina, Sponse, tua.  
Hæc hæc Cura fuit quâ tandem pellerè posses  
Languores Veneris, sic ut amara febris.  
Quæ nisi Landgraffi tibi conservata fuisset  
Arte, Deiq; bono: quæ medicina tibi?  
Macte illâ Cura: Sponso medicina parata,  
Subvenies Sponsæ: subvenit Illa tibi.  
Iam vos Iova juvet, faustoq; in amore perennè  
Te servetq; Tuæ, Sponse, tuamq; tibi.

Matthæus à Saher Byrutho-  
Fr. L. L. Studiosus.

*Votum annum nuptiarum continens.*

ContriBvat CæLo In qVeM CVnCrâ Creatâ VerentVr  
EVaX hIs nVptIs prospera qVæqVe plIs.

*ἔρονδιστοχον.*

IVnIVs aC nItIDIs bIs qVIntVs LVCet In astrIs  
ILLIC rItè Vlrø Virgo pVDICa VenIt.

D 2

Echo



E C H O.

**E**cho mihi referas quid ibi concurratur? ECH. Itur.  
 Nonne homines complent omnia compita? ECH. Ita.  
 Non veniam si quendam istorum accersero? ECH. Serò  
 Tu dic ergo mihi quæ tibi nota: ECH. Nota.  
 Fors fuerit, cernis quam turba paventis? ECH. Adventis.  
 Si gaudet tantum, cur ita clamat? ECH. Amat.  
 An quisquam tædas celebrare volebat? ECH. Olebas.  
 Postera ut ex sese secula propaget? ECH. Aget.  
 Conjugium colet hic Sponso metuente? ECH. Tuente.  
 Nonne obstacula etiam sunt in amore? ECH. Mora.  
 Quod Sponsus debet voluit fors solvere? ECH. Verè  
 Factane sunt, Jovæ talia grata? ECH. Rata.  
 Papa autem prohibens tædas altissimus ECH. Imus.  
 Humani generis nonne patronus? ECH. Onus.  
 Dicas nunc cujus sit Sponsa coloris? ECH. Oloris.  
 An Sponsa facies sit moriens? ECH. Oriens.  
 An dotes etiam multa nituere? ECH. Fuere.  
 Sponsa ergo verè est hac generosa? ECH. Rosa.  
 Quid verò Sponsum tam certò regebat? ECH. Egebat.  
 Ipsi cunctipotens adfuerat? ECH. Fuerat.  
 Ergo novis Sponsis exopto prospera. ECH. Spera.  
 Sint quæ sibi Sponsi dulce levamen. ECH. Amen.  
 Matutina dies verò nunc transit ECH. An sit.  
 Quis scit an hæc unquam lux remeabit? ECH. Abit.

Honoris ergò Lipsiæ

F.

Heinricus Grauel Gera-  
 nus L. L. Studiosus.

AD




AD SPONSAM.

QVò magis intactus manet auri circinus, hòc plus  
Splendet, ut in pugnam Punica mala vocet.  
Quò magis unda suo fuit inviolata sub alveo,  
Hòc pellucidius, vitrum imitata, micat.  
Prata virent, geminant alabastritèa nitorem,  
Quò minùs illa pedes: hæc manus ulla terit.  
Claustra pudicitia, quæ non reserata, quid aufint?  
Nonné pares de se commemorare notas?  
Integritas Iovæ res est preciosior auro:  
Plùs undâ mentis purima sensa micant.  
Cum pratis valeant alabastritèa: racemus  
Virginitatis adest, hinc viror, inde nitor.  
Nève honor, ast onus est, circa ilia ferre labores,  
Aut sentire plicas Eilithyia tuas.  
Coelibis ista queant vitæ suadere sequelam,  
Legitimumq; thori reddere pignus iners.  
Sed justo trutinæ pensata examine, victrix  
Suada repugnantùm singula puncta legit.  
Nam DEUS auctor adest, subsunt exempla: favores:  
Præmia: iussa: salus prolis: & agmen opum.  
Queis benedicta jugi communis vincula clarent,  
Digna q; sunt, vel te iudice, Sponsa, coli.  
Ecquid purus aquæ fluor; ecquid circinus auri  
Prodest, si verus finis & usus abest?  
Nec soli spirare putes tibi: cum sit ad usum,  
Et focii nexûs fœdera factus homo.  
Ipsa DEI patris vox hæc: Malè vivitur uni,  
Est faciendâ dias, fida ministra viro.



Hæc, tu Sponsa, cui potior sententia cessit,  
Mentis ad incudem, iudiciumq; trahis.  
Legitimâ ratione proco, gravibusq; petita  
Votis, jure forum jam sociale subis.  
Dum foecunda cavi matrûm REGINA per orbem  
Mavis, quàm sterili virginitate mori.  
Digna cedro res hæc : cui sacri pagina verbi,  
Astipulatur : idem lex probat, atq; canon.  
Ergo lubet votum subnectere : Regia virgo,  
Quod petis, eventu divite Iova beet!

*Mauricius Steinmetz  
Lipſicus L. L. Stud.*



*Vulgarè est dictum, concordant nominareibus  
Sæpe suis; Regina hoc pia Sponsa probat.  
Ante omnes etenim hic pulchræ præconia formæ  
Ipsa refert, nam RE & NOMINE PULCHRA cluit.  
O te felicem SPONSUM & præ mille beatum,  
HENNINGI, tibi REGINA ubi Sponsa datur.  
Aspice formosam faciem, gestusq; decoros  
Laude pudicitia ut docta parare sua.  
Nil superest; SPONSIS quàm toto ut pectore grater,  
Atq; DEUM æternum per mea vota vocem.  
Alme DEUS, cujus stant hæc connubia fato  
Hisce fave, HOCCE fove PAR BENE COMPOSITUM.  
Sit vita ex voto, sit fausta & prole beata,  
Dulcescat semper, nec sit amarus amor.  
Sit vita ex voto, sine lite, & labe, quieta,  
Ut sic conjugii sit leve, suave, jugum.*

*Johannes Renellin Donaber-  
danus Suevus.*



**D**Vm Regina tibi, charissime avuncule, nubit,  
Virtute & roseis Sponfa decora genis,  
Ipse ego quid melius faciam, nisi vota precesq;  
Ad Dominum fundam, qui bene cœpit opus ?  
Hoc ut perficiat feliciter, inque sacrato  
Conjugio salvum præstet utrumque diu.  
Vivite concordēs, benè vivite Nestoris annos,  
Mutuus amborum corda perurat amor.  
Nec vos deficiant optati pignora lecti,  
Quæ matrem exhilarent, exhilarentq; patrem.  
Quos precor ut servet vobiscum tempore longo  
Florentes omni prosperitate Deus,  
O tandem vitæ saturos felicia ad astra  
Mittat, ubi sedes certa parata piis.

*Jacobus Schultes junior Ho-  
noris & amoris ergò F.*


~~~~~  
**F**Vndite iò carmen, tadas adferte jugales:  
Jungitur HENNINGI, Nympha REGINA, thoro.  
Grator: amor vester succedat prosperè in omne  
Aevum, proveniant pignora chara thori.  
Omnis lis desit, vobis concordia constans  
Adsit. Quod toto pectore & ore precor.

Hero suo observantiæ gratiã  
faciebat

Christianus Rynisch  
Misenensis.

F I N I S.







Decorative border with repeating floral or geometric motifs.






























































































*Id 4206  
g*

ULB Halle  
004 167 287

3



*f*

*56*

*Sie. 18 u. 25 nicht in FICA,  
da Hschr.*

*+90*

*100-By  
Jul. 07*


*2014*

*24 VD 17*


*M*












77 XLII

can 49



# ΓΑΜΗΛΙΑ

*In festivitatem Nuptialem*

Integerrimi atq; honestissimi viri

Dn. HENNINGI

GROSSI junioris,

Civis & Bibliopolæ Lipsiensis

S P O N S I,

*ac*

*Pudicissimæ virginis*

REGINÆ-MARIÆ,

Spectati atq; industrii viri Dn. HEN-

RICI SCHRÖTERI, officialis Ruthenici

filix S P O N S E

*Scripta à*

*Fautoribus, Adfinibus & Amicis*

Ad IV. D. Id. Iunij, Anno

*M. DC. XI.*

Lipsiæ Michaël Lantzenberger excudebat.

5.

